£2·50

HISTORIARVM MEMORABILIVM ex Geneſi deſcriptio,

Per Gulielmum Paradinum.

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
M. D. LVIII.

GENES. I.

De creatione mundi.



Principio cœlum vacuum, terrasq́ iacentes,
Et pelagi immensum condidit autor opus:
Hinc Lunæ, Solisq́ ignes, quibus emicet orbis,
Atque hominem fecit numinis esse typum.

De arbore homini interdicta.



Tum Deus infundens Adamo ſpiracula vitæ,
Conceßit varijs fructibus vſq; frui:
Interdictus erat vetitæ tamen arboris vſus,
Additaq; eſt letho pœna pianda graui.

De Eua.



Atque Adami costam lateris de crate reuellit,
Dum sponte immissus detinet ora sopor,
Confingitq́ Euam, quæ excusso à coniuge somno,
Nubilis inde viri constitit ante pedes.

Serpens Adamo atque Euæ ſtruit inſidias.



Protinus ad miſeram ſerpens illabitur Euam,
Graſſaturq́; nouis inter vtrunque dolis:
Donec deciperet pomis fatalibus ambos,
Guſtaretq́; ſuam lapſus vterque necem.

Parentes agnito errore, ac pudore suffusi velant pudenda.



Gustato mentis patuerunt lumina fructu:
Prodidit inde rubens inguina nuda pudor.
Deinde legunt virides turgenti ex arbore ramos,
Et sua ficulna fronde pudenda tegunt.

Mors peccati merces.



Ut Deus euersos resciuit fraude parentes,
Et culpa uxoris succubuisse virum,
Detestatur eos, omneisq́; à stirpe nepotes,
Atque hominum morti destinat omne genus.

Parentes Paradiſo exacti.



Conſuit hirſutas Deus his de tergore veſtes,
Atque voluptatis pellit vtrunque loco:
Veſtibulum obſeruãs Cherubin micat igneus enſe,
Ac furit infeſto mors inimica metu.

Homo labori natus.



Hinc victus magno vultu sudore paratur,
Annonamq́ recens terra subacta parit:
Ast Euam nati, dein cura domestica vexat,
Et labor in partu, continuusq́ dolor.

Diuersa fratrum sacrificia.




Ruris opes adolet sacras Cainus ad aras,
Incensisq; Deum frugibus igne colit:
Sanctiùs hoc multò mitis sacra fecit Abellus,
Dum teneros aris obtulit ipse greges.

Cædes Abelli.




Percitus inuidiæ ſtimulis, exarſit in iram,
Concepitq́ ingens (proh ſcelus) ille nefas:
Fraterno primus maculauit ſanguine dextras,
Amiſitq́ truci cæde ſalutis iter.

Aduerſus imminens diluuium arca excitatur.



Nunciat effuſis perdendum fluctibus orbem
Numen, vt humanum mergeret imbre genus:
Ingentemq́ iubet fieri compagibus arcam,
Qua Noëlus ſeruet ſeq́ ſuamq́ domum.

Diluuij inundatio.



Claustra patent cœli, pluuijs laxantur habenæ,
Vndiuagam fluctus tollit in astra ratem.
Sic quoq; vitisator quinto plus mense vagatur,
Donec in amplexus terra resorbet aquas.

Sidit arca in Armenia.



Montibus Armeniæ (dilapsis fluctibus) hæret
Arca, oculis longè terra retecta patet.
Cumq́ue suis Noëlus fruitur vitalibus auris:
Egrediensq́ue senex omnia mersa videt.

Sacris Noëlus operatur, quocum Deus paciſcitur.



Vinitor egreſſus, de ceſpite conſtruit aram,
Et pecudes puras immolat ipſe Deo:
Pollicitisq; Deus ſpondet per ſecla futurum
Ut tales nunquam cerneret orbis aquas.

Fœderis cum homine indicium.




Effundi poſtquam vetat amplius enſe cruorem,
Cum genere humano fœdera numen init:
Oſtentatq́ Irim, pluuiumq́ in nubibus arcum,
Qui pacis ſignum tempus in omne foret.

Liberorum pietas, & impietas.



Ebrius obscœna nudatus parte iacebat,
Cùm patris irrisit membra retecta puer.
At pius, & fœlix Semus, cum Iaphete, patris
Protinus iniecta veste pudenda tegunt.

Extruitur turris Babel.



Iam vulgi famam captans Nemrotus, & auram,
Fecerat immensæ surgere molis opus:
Cùm Deus ingentes animos, fastumq́ retudit,
Dum lingua in dubios scinditur vna sonos.

Sedes Abraham mutat, oraculo admonitus.



Exceßit tandem patrijs Abrahamus ab oris:
Mandatisq; libens paruit vsque Dei.
Credulus inq; illa sedes regione locauit,
Quam sibi cum longa posteritate colat.

Abraham ac Lothus vtrinque abſcedunt.



Diues opum Lothus, diues Abrahamus, habebant
Ingentem & miſtum paſtor vterque gregem.
Cùm tamen annonam regio omnibus vna negaret,
Abductum longè ceßit vtrinque pecus.

Lothus in finibus Sodomorum, Abrahamus in Cananæis conſedit.




Ad Iordanis aquas, dirasq́ Sodomidis arces,
Lothus agens tauros, ruſtica castra locat:
Diuinumq́ ſenem Chananæa in ſede reliquit,
Paſcentem proprium per ſata læta gregem.

Sodomæ atque Gomorrhæ vrbium clades.



Regibus effuso concurrunt sanguine Reges,
Et cum Gomorra victa Sodoma iacet.
Conijciturq́ tremens victoriis in vincula Lothus,
Congestisq́ opibus præda futurus abit.

Abrahamus hostes fundit, Lothumq; Regibus extorquet.



Protinus infestos currens Abrahamus in hostes,
Pastorum validam cogit ad arma manum:
Confligensq; truci fundit certamine reges,
Soluit & abducti vincla nepotis ouans.

Melchiſedech ſacerdos Abrahamo obuiam cum muneribus procedit.




Melchiſedech reduci panes, & vina ſacerdos
Præmia deuictis hoſtibus ampla tulit.
Ille ſeni ex ſpolijs decumas (pia dona) rependit,
Quæq; ſacerdotum vendicat vſque genus.

Abrahamus captiuos hostes dimittit.



Captiuos reddi sibi Rex Sodomita rogabat:
Atque vt victoris cætera cuncta forent.
Annuit, & victo reddi iubet omnia victor,
Ut nullius egens, cui satis esset opum.

Agar ancilla dominæ detrectans imperium domo exigitur.



Agar vt ancillam produxit Sarra marito,
Istius imperium non tulit illa libens.
Idq́ ferens ægrè, ex mandato Sarra mariti
Prægnantem intereà iußit abire procul.

Agar diuinitus dicto audiens.



Cœlitus audit Agar, tecto vt ſuccedat herili,
Et dominæ ſubeat iuſſa relicta ſuæ.
Inde domum feſtina redit, Sarræq́ iubenti
Paruit, innumera prole futura parens.

Reges ex ſene naſcituros Deus pollicetur, primumq́; circuncidi præcipit.



Numen opes, natum, proprioq́; ex ſemine Reges,
Indicat annoſo ſe dare velle ſeni:
Præcipit & ſumma nudare virilia pelle,
Linquat vt hæc generis ſigna futura ſui.

Abrahamus frustra pro auertenda Sodomorum clade, Dominum deprecatur.



Prædixere Abrahæ Sodomorum oracula cladem,
Cùm foret vrbs miseris deperitura rogis.
Hic tamen infanda Dominũ pro plebe rogabat:
At frustrà iactas misit in astra preces.

Vulgus Sodomorum vim Angelis inferre volens, cæcitate plectitur.



Hospitis ante ædes furijs agitata fremebat,
Vimq; inferre Deis plebs Sodomita volens:
Quæ tamen hospitij violato fœdere, tandem
Limen ad obstructum, cæca relicta manet.

Lothus vrbe de cœlo tacta educitur, vxore in salis statuam uersa.



Lothus ab hospitibus peritura educitur vrbe:
Cumq; suis spectat cuncta sub ima rapi.
Desuper incumbũt flãmarum & sulphuris ignes,
In statuamq; vxor vertitur icta salis.

Lothi filiæ, conseruandæ prolis gratia, à patre compressæ.



Hinc sobolis natæ curam tamen vsque gerentes,
Abducunt lætum rupis in antra patrem,
Immerguntq́ mero, oblitum stirpisq́, suiq́,
Comprimit & natam Lothus vtranque pater.


GENES. XX.

Sarra ab Abimelech rapta, intacta marito redditur.



Abstulit Abimelech dilecto à coniuge Sarran,
Nomine quæ coniunx tecta sororis erat.
Quam Deus in thalamum iubet à raptore reduci,
Intentans cœli mortis ab arce minas.

Agar cum filio domo rurſus pellitur.



Spurius infante Iſaaco dum luſitat infans,
Protinus exarſit, nec pia Sarra tulit.
Huius enim aßidua perculſus voce maritus,
Ancillam & puerum pellit vtrunque domo.

Agar oraculo admonita aquas hausit, alioqui cum infante siti peritura.



Cumq́ infante siti fugiens Agar ægra laborat,
Nec puerum absumi cernere morte potest.
Deponit miserum, tristeisq́ sub arbore cunas:
Indicio donec numinis hausit aquam.

Prodigiosa Abrahami fides.




Iam pater innocuum iuuenem stringebat ad aras,
Et gladio iugulum mox petiturus erat:
Cùm Deus humano parci iubet vsque cruori:
Spectatamq; senis iam satis esse fidem.

Mariti in coniugem pietas.



Sarra ſenex functa eſt vita, in conuallibus Hebrũ,
Cui tumulum mœrens ære maritus emit.
Hocq; ſepulta ſolo eſt, lacrymis Abrahamus ob-
Irrigat vxoris triſtia buſta ſuæ. (ortis

Rebecca puella ſeruum officioſè excipit.



Haurit vt ex liquidis virgo de fontibus vndam,
Et ſitulam dextra geſtat vtraque grauem:
Exhibet externis potum formoſa camellis,
Et ſeruo optatam porrigit hoſpes aquam.

Rebeccæ ſponſæ aduentus.



Iſaacus viridi expectans errabat in agro,
Vnde Camellorum cernit adeſſe gregem.
Vecta Rebecca aderat, varijs comitata puellis,
Cui fuerat ſeruus duxq́, comesq́ viæ.

Abrahami mors.



Iam ſenio pater Abrahamus confectus, & annis,
Mortis vt extremum cernit adeſſe diem:
Iſaacum hæredem cunctorum ex aſſe relinquit:
Et moriens, empta contumulatur humo.

Fatalis Rebeccæ partus.



Iſaaci ex partu patiens muliebria coniunx,
Decubuit molli diua Rebecca thoro.
Excipit hinc geminos fratres Lucina, feruntq́;
Alterutrum, alterius tunc tenuiſſe pedem.

GENES. XXV.

Esaü primogenita vendit.



Hispidus incultis rediens venator ab agris,
Traxerat ex nimio fortè labore famem:
Frater habens escas quas coxerat igne rubentes,
Comparat hoc vili iura paterna cibo.

GENES. XXVI.

Iſaaci de vxore fucus proditus.



Cumq; Palæſtinis Iſaac vixiſſet in agris,
Eius habebatur blanda Rebecca ſoror:
Aſt vbi Rex geminos colludere vidit amantes,
Increpuit verbo mæſtus vtrunque graui.

Iſaacus Palæſtinorum intemperijs actus, vertit ſolum.




Inter Idumæos augens armenta, gregesq́,
Liuorem Iſaacus concitat ipſe ſibi.
Obruit huic puteos vulgus, ſaxisq́, lutoq́:
Ille aliò (abducens omnia) flexit iter.

Rex Idumæorum cum Isaaco init fœdus.



Rex memor Isaaci sanctæ probitatis Idumes,
Inq; viro sacrum numen inesse putans,
Extorrem inuisit: cœna ciuiliter hostis
Exceptus, firmum fœdus inire parat.

Fatalis impoſtura pro benedictione.



Voce ſenex ficta, & manibus deluſus opertis,
In caput infantis mox pia vota canit:
Et bona fatidicus puero ventura rependens,
Maiorem natu poſthabuiſſe ferunt.

Scalaram oſtentum.




Impoſita Iacob ſaxo ceruice quieſcens,
Aligeros ſcalas vidit inire choros:
Innixumq; Deum ſcalis, promiſſa ſupernè
Firmantem, atque amplas poſteritatis opes.

Duabus ſororibus futurus Iacob maritus, venit ad Laban.



Venerat vt Iacob putei defeſſus ad oram,
Affuit & Rachel vaſcula nympha gerens:
Deuoluitq́; ingens ſaxum puer, oſcula libans:
Germanis coniunx nempe duabus erit.

Rachel diuinitus filium enixa.



Cùm pia Rachelli partum Lucina negaret,
Quærit ab irato pignora chara viro.
Hanc tamen aspexit placidi clementia cœli,
Diuinoq; simul nascitur ore puer.

Simulachrum aureum Iacob vxor impunè rapit.



Inuisus Iacob sedes, socerumq́ relinquit:
Aurea sed mulier clàm simulachra rapit.
Excutiensq́ socer frustrà tentoria Laban,
Cum genero, & socia coniuge fœdus init.

Ex lucta cum Angelo femur Iacob emarcuit.



Fraternis odijs deterritus, obuius exit,
Pacatumq́ ideò nunciat esse gregem.
Ignoto tandem ex lucta cum numine, Iacob
Claudicat, & torpens marcuit inde femur.

Iacob fratrem adorat, donis infeſtum proſecutus.



Munera agens Iacob, fratrem demiſſus adorat,
Lanigerumq́; pauens obtulit ipſe pecus.
Fraternus tamen eſt pluris quàm munera ſanguis,
Mutuus vt fratrum concilietur amor.

Emor petit Dinam filio vxorem dari ob ſtuprum virgini illatum.



Conqueritur virgo ereptum ſibi Dina pudorem,
Ac tanti Sichen criminis eſſe reum.
Mæſtus Emor, nato tum pro mercede, puellam
Uxorem ſupplex poſtulat ipſe dari.

Emor ac Sichen profitentur ſe Iudæorum legibus, ac religioni initiatum iri.



Raptori Dinam fratres dare velle negabant,
Fortè quòd alterius relligionis erat:
Aſt Emor & Sichen iurauit vterque futurum,
Illorum vt leges, iura, Deumq́ colant.

Fratres compreſſam ſororem vlciſcuntur.



Ultores ſceleris fratres, vbi vulnere acerbo
Emoridas ægros decubuiſſe vident,
Accincti ferro miſcebant cæde penates.
Stupratæ merces iuſta ſororis erat.

Iacob Idola ad radices Terebinthi defodit.



Mandauit terræ Iacob ſimulachra Deorum,
Emoridum fugiens regna ſuperba ſenex.
Hinc etiam Rachel partus extincta dolore,
Extremum vitæ clauſit in orbe diem.

Iosephus patri charus, ob idq; fratribus inuisus.



Iosephum genuit Iacob grandæuus, ob idq;
Cœperat annoso charior esse seni:
Hinc arsere odio fratres, quod paruulus auxit,
Somnia commemorans fratribus ipse suis.

Iosephus rus profectus, fratres inuisit.



Pastores ouium fratres inuisit Ioseph,
Inuisus multò fratribus antè puer.
Quem dare (fraterna maculati cæde) volebant
Immeritum sontes, innocuumq; neci.

Ruben opera Iosephus morti ereptus, in cister-
nam demittitur.



Cæde Ruben nolens fratris'ue cruore madere,
In tantum fratres non tulit ire scelus.
At puer antiquum vinclis demissus in antrum,
Hostiles vitat, sanguineasq́ manus.

Iacob viſa veſte in planctum & lacrymas prorumpit.



Rure cohors fratrum lacera cum veſte recurrit,
Quem pecudis fuſus tinxerat enſe cruor.
Hanc pater vt vidit, fletu contabuit amens,
Et pueri optauit victus amore, mori.

Thamaris aſtu Iudam fefellit, ipſa prior vana ſpe deluſa.



Coniugij orba diu Thamar, & ſpe eluſa futuri,
Depoſito luctu flammea læta capit:
Et ſedet in triuio, proſtans meretricis amictu,
Ut verbis Iudam falleret ipſa ſuis.

Iudas Thamarim ignotam compreſsit.



Paſtor oues Iudas triuium tonſurus inibat,
Ignotamq́; ſocer comprimit ore nurum:
Pollicitusq́; hædum, baculum, armillamq́; reliquit:
Cumq́; alijs fulgens annulus, arra fuit.

Subducit ſe Thamaris, licet Iudas liberet fidem.



Eligit egregium Iudas ex pluribus hædum,
Perferri ad ſcortum munera pacta iubens.
Haud tamẽ in triuio à ſeruo quærente reperta eſt:
Sicq́ꝫ datam interea liberat ille fidem.

Thamaris ſupplicio deſtinata, fuco prodito abſoluitur.



Poſtquã vterũ fœtu nurui intumuiſſe repertũ eſt,
Accendi Iudas præcipit igne rogos:
Deinde pudore rubens, lethalia vincula ſolui,
Ut coïtus tandem proditur arra, iubet.


e

Iosephus Ismaëlitis venditus, in Aegyptum in seruitutem abducitur.



Intereà externis (spelunca eductus ab alta)
Fatidicus paruo venditur ære puer.
Ac procul à patria Pharias abductus in oras,
Phutipharis casta mente minister erat.

Phutipharis vxor vim frustrà inferre nititur Iosepho.




Donec ad impurum Iosephum illectat amorem
Phutipharis coniunx, huius amore furens.
Ille autem lectum veritus violare iugalem,
Arripit excussa veste repente fugam.

Vxor Phutipharis probri oblati Iosephum falsò insimulat.




Perstrepit intereà muliebribus aula querelis,
Imploratq́; viri protinus vxor opem.
Attentasse thorum miserum mentitur Iöseph:
Hinc subit innocuus carceris antra puer.

Vinctorum Iosephus somnia interpretatur.



Oenophorus vinctus, reus & pro crimine pistor,
Concipiunt fati somnia vera sui.
Illi fatidicus iuuenis post vincula vitam:
Post triduum huic, vero præcinit ore necem.

Pharaonis ſomnium Ioſephus afflatus numine enarraturus, carcere educitur.



Præſcia venturi vidit Rex ſomnia ſecli,
Quæ nec aruſpicijs, augurijs'ue patent.
Quæritur enarrans vinctorum ſomnia vates,
Qui (licet immeritò) carcere clauſus erat.

Fata ex Regis ſomnio Ioſephus aperit.



Tum puer Hebræus, fatorum obſcura reuoluens,
Venturæ cecinit tempora longa famis:
Hinc Pharao iuuenem Regum exornauit amictu,
Viſendumq́ ſuo præcipit axe vehi.

Honor Iosepho exhibitus.



Unde Pelusiaco curru, sublimis honore
Fertur, & à summo Rege secundus erat.
Prodit & edictum, quo plebs stupefacta iubetur
Demissum vati flectere turba genu.

Ioſephus futuræ fami congeſtis frugibus occurrit.



Cùm foret Aegyptus ſeptem fœcunda per annos,
Diues agri, & multa meſſe, meróq; ferax:
Congerit immenſas Ioſephus in horrea fruges,
Prouidus, vt diram pelleret inde famem.

GENES. XLI.

Iosephus Efraim, & Manassen genuit.



Connubio iunctus, genuit duo pignora vates,
Oblitus patriæ pascua læta suæ.
Maiorem natu iubet appellare Manassen,
Atque Efraim nomen posterioris erat.

Fame ſæuiente fruges à Ioſepho vulgo diſtrahuntur.



Creſcit vbi abſumens populos Aegyptia peſtis,
Sæuit & immani morte leuanda fames:
Diſtrahit annonam, reſerata per horrea vates,
Vimq; auri immenſam Regis in ære parat.

GENES. XLII.

Iacob in Aegyptum filios ire iubet, imminente fame.



Fama eſt Niliacas vendi frumenta per vrbes,
Cùm pater abſumpto pane laborat inops.
Ire iubet natos, fruges populariter emptum,
Obruat exhauſtos ne Chananæa fames.

Iosephus agnitos fratres, tanquam specula-
tores grauiter increpat.



Ut primùm Isacides pede contigit aduena limen,
Iosephus fratres nouit adesse suos:
Increpuitq́ graui venientes feruidus ore,
Exploraturi regna perinde forent.

Iosephus fratres in vincula coniicit.



Protinus obiectum vincti, licet vsque negarent,
Efferrentq; patris nomen, & vnde genus,
Cumq; parente domi natum superesse minorem:
His tamen innecti tristia vincla iubet.

Simeon fratrum obſes in Aegypto detinetur.



Detinet in vinclis Ioſeph Simeona reuinctum,
Qui pro dimißis fratribus obſes erat:
Dum minimus Chanaan puer à regione veniret,
Cernere fraternus quem cupiebat amor.

Nouus luctus patri Iacob oboritur, quòd Beniamin in Aegyptum fratres abducturi essent.



Absconsum saccis mirantur in omnibus aurum,
Postquam quisquè suum deposuisset onus.
At pater ingemuit, quòd iam periisset Iöseph,
Ac puerum vincto cum Simeone peti.

Iosephus ad aduentum fratrum epulum parari imperat.



Cernit vt intrantem puerum Iosephus in ædes,
Et patria reliquos iam rediisse nouem:
Tunc epulum structor iubet vt regale pararet,
Cumq; suis escas fratribus esse cupit.

Triſtes Iſraëlitas ſolatur œconomus, Simeone carcere emiſſo.



Dein Simeon fratres emiſſus carcere viſit
Lætus, & excuſſa compede liber agit.
Oeconomus triſtes verbis ſolatus amicis
Excipit, & lotos iußit habere pedes.

Iſraëlitæ Ioſephum fratrem, oblatis muneribus adorant.



Ingreßi fratrem fratres reuerenter adorant,
Et ſua curuato poplite dona ferunt:
Dona Palæſtinæ raris è fructibus oræ:
Pro quibus & grates ille libenter agit.

Iosephus fratres conuiuio excipit, in ingentem lætitiam effusus, ob fratris vterini aduentum.



Beniamis aspectu vates stupefactus amore
Hæsit, & oblitum constitit esse sui.
Ordine quenque suo fratres accumbere mensæ
Præcipit, & medio lætus in orbe sedet.

Parantibus in patriam reditum Iſraëlitis, iuſsit Ioſephus cratera recondi in ſacco Beniamin.



Iam reditum Iſacidæ fratres tum fortè parabant,
Pondera poſtquam aſinis impoſuere ſuis:
Cùm pueri in ſacco mandat cratera recondi,
Et precium reliquis frater vt antè dari.

Præfectus domus Pharaonis Iſraëlitas in Regiam abeuntes retrahit multis probris perfuſos.



Accelerans aulæ ſequitur præfectus euntes,
Ac media attonitos excutit ipſe via.
Tum pueri in ſacco inuentum cratera reportat:
Fundit & immeritò probra ſubinde furens.

Iſraëlitæ furti poſtulantur, quod Beniamin ſeruitute luit.



Turbatosq́ domum, ſimul & iumenta reducens,
Compoſito furti poſtulat ore reos.
Hoc tandem minimū fratrem pro crimine ſeruum
Deprenſum vates vendicat ipſe ſibi.

Iosephus se fratribus ignotum prodit.



Iam satis exhaustos miseratus mente dolores
Verus amor ficto non tulit ore premi:
Sed magno sese tandem clamore latentem
Prodit, & hunc fratrum clamitat esse gregem.

Beniamin Iosephus osculo, reliquos amplexu excipit.



Amplexusq́; genas pueri pius oscula libat,
Atq; humeris fratrum brachia nectit amans:
Mutuaq́; excutiunt animorum gaudia fletus,
Lætitiaq́; Phari regia tota sonat.

Iacob in Aegyptum proficiſcitur.



At pater antiquas ſedes ſolitosq́ penates
Liquit, vt Aegypti rura vetuſta colat:
Fortunasq́ omneis ſecum longo agmine vexit,
Ut mortem Aegypti cerneret ante Ducem.

Iacob ſacra faciens in via, oraculo admonitus in Aegyptum pergit.




Numinis haudquaquam, cœli'ue oblitus, in agris
Oblato pecudum munere ſacra facit:
Cunctantemq́; monet tunc vox illapſa per auras,
Carpat vt hoc fauſto numine lætus iter.

Aegyptij prædia ſua vendunt regi, præter ſacerdotes, quibus gratis ſubminiſtratur annona.



Iam ſua tabeſcens bona diſtrahit accola Nili,
Ut ſibi corraſo comparet ære cibos.
Rura ſacerdotum vates intacta relinquit:
Pro precio annonæ cætera Regis erant.

Iacob ſenior penè captus oculis, Ioſephi filijs fœliciter imprecatus, tranſuerſas manus imponit.



Iam pater annorum ſerie, morbiſq́ grauatus
Lumine penè oculi captus vtroque iacet.
Mirantur poſitis hinc inde nepotibus, ægrum
Tranſuerſas pueris impoſuiſſe manus.

Iacob valetudinarius omnibus filiis benedicit.



Iam duodena ſenex moriturus pignora tandem
Euocat, & totam iußit adeſſe domum:
Omnibus vt pariter natis fœliciter optet,
Multaq; fatidica voce futura canat.

Iacob animam agens, cauet vt in Hebrum efferatur.



At pater æger agens animam, ſuprema rogabat
Dona, vel inferiis, exequiisq́ locum.
Mortuus effertur frondoſi Hæbronis in vrnam,
Et data viuenti conſtitit ante fides.

Moritur Iosephus, cuius cineres maiorum sepulchro post multas ætates inferuntur.



Iam centum ætatis vates excesserat annos,
Cùm loculo moriens conditur ipse breui.
Iusserat in patriam cineres post fata referri,
Ut procul Aegypti finibus ossa cubent.